



DISSERTATIONEM INAVGVRALEM JVRIDICAM, 8.
DE
EO QVOD JYSTVM EST CIRCA 20
SPONSALIA, 1723, 18
TAM
JVRE COMMVNI,
QVAM
STATVTARIOZITTAVIENSI,
IN PER-ANTIQA ELECTORAL. VNIVERSITATE
ERFORDIENSI,
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILLI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,
DOMINO
CHRISTOPH. IGNATIO
DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM-
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;
EX CONSENSV ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS,

PRÆSIDE
DN. ERNESTO TENZELL, JCTO,
EMINENTISSIMI PRINC. ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS,
JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORE, AC DICTÆ CIVITATIS
CONSVLE PRIMARIO, FACVLTATIS JVRIDICÆ
h. t. DECANO,

PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBV5 AC PRI-
VILEGIIS DOCTORALIBV5 RITE CONSEQVENDIS,
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGH MAJORIS; HOR. CONSV.
AD DIEM XI. DECEMBERIS, A. O. R. MDCCXXIII.
PVBLICÆ DISQVISIONI SVBJICIET

AVTOR
SAMVEL FRIEDRICH GROSSER,
Senator. Zitraviensis.

ERFORDIÆ, Typis GRÖSCHIANIS, Acad. Typogr.

36

DISSERTATIONEM IN ACADEMIA JURIDICA

DE QUOD IUSTVM EST CIRCA

SPONSALIA

JURE COMMUNI

STATVARIOSITATE

RECTORI UNIVERSITATIS AC PRO CANCELLARIO

DOMINO

CHRISTOPHIGNATIO

DE GVBENVIS, I. V. D.

ET COLLEGIUM ALIQUORVM ORDINI

DN. ERNESTO TENZELL, ICTO

PRO SVMMIS INVTROVQVE IURE HONORIBVS AC FRI

SAMVEL FRIEDRICH GROSSER

LEIPZIG, THOMAS GROSCHANSKI, ANNO 1799





J. N. J.

PROÆMIUM.



Uo, L. B. Prudentia Legislatoria sunt principia: Moralitatis Ratio, & Ratio Status. Moralitatis rationem quod attinet, tantum abest, ut Principi, (Majestate polleat vel analogica, vel vera) quid contra Jus naturæ vel divinum positivum morale statuere liceat, ut potius utriusque

Tabula custodem esse oporteat & Vindicem. In iis vero, quæ Juris divini positivi moralis non sunt, tantum iterum Majestati Principis tribuo, ut Jure quoque divino permessa modificare possit, prout Ratio Status postulat. Et huc quoque refero suo modo Conjugia: Utut enim Conjugia vel maxime sint licita; & per *lex. Gen. I. v. 27. 28. conf. CARPZ. Jurispr. Confist. L. 2. tit. 1. D. 2. fere præceptivi Juris esse videantur; non tamen ausus fuerim, statuere, ea nec restringi nec modificari posse. Restringit ipse Deus, Conjugiorum Autor, prohibendo nuprias inter eos, quos vel pudor naturalis, si non sanguinis pro-*

A 2

pin-

pinquitas repellit. *Levit. c. 18. § 20.* Modificari vero posse conjugia & certis circumferibi limitibus Principi vel maxime licere exinde statuo, quod modificatione tali, Juri divino non derogetur, utilitati vero Reipublicæ consulatur, quæ Jure tam sacra atque sancta nobis esse debet, ut, quantum in nostris positum est viribus, ad ea conferamus, & quod eidem repugnat, nec facere nos posse credendum sit.

Assentit huic meæ Thesi MARC. ANTON. de DOMINIS in *Opere de Rep. Eccles. L. 5. c. 11. n. 5.* dicens: *Supremorum Principum fore in suis ditionibus contractui matrimonii conditiones apponere, quibus vel contractus teneat, vel irritus sit & nullus, dummodo nihil contra Jus divinum statuatur &c. & iterum: firmissime semper veterem Ecclesiam tenuisse, matrimonium contra Leges Principum contractum nullum esse, &c.* Tantum ergo Principi licet! & absoluta quidem, pro ratione tamen Formæ Reipublicæ, ei competit potestas, adeo ut, modo moralitatis & Juris divini ratione habita, statuere possit quid velit, præsumtio quoque habitæ rationis status pro eo militet. Unde, si quis justo curiosior in Legis ferendæ causam impulsivam, lata vero justitiam indagaverit, facile posset fieri, ut responsionem obtineat, quæ habetur in *L. 20. 21. ff. d. LL. L. i. d. Constit. Princ. & quam porro allegat ZYPPELIVS in Tr. de Tess Collybist. p. 75. putò Divi Elector. AVGVSTI ad Cur. Suprem. Provinc. Lips. de 22. Nov. 1575. Rescriptum, in verb. Denn wir neben uns Feinen Chur-Fürsten zu Sachsen leiden können, & Rescriptum JOH. GEORG. II. de Mens. Febr. 1667. subscriptione (FIAT Johann George, Chur-Fürst) & in verbis: (in causa der Ferberischen B gnadigung) ich befehls, und will es haben, denn ich bin Chur-Fürst. Prout ergo Principi omnino licet modificare conjugia juxta Rationem Status Reipublicæ; ita etiam jure meritoque prima ejus in bene ordinandis Matrimoniis recte defudat opera. Sunt enim matrimonia vel conjugia fundamentum familiarum; familia fundamentum reipublicæ; & si basis*

hac

hæc minus caute fuerit posita, tota certe ruat, corruat
 superstructa moles, necesse est. Inde tanta Romano-
 rum Imperatorum de hoc argumento fuit sollicitudo ut
 videre licet in ff. C. Tit. De Sponsal. d. rit. nupt. & passim,
 notatuque dignum est, quod Justinianus ipse de causis
 matrimoniorum reliquit Judicium, in *Præfat. ad Nov. 22.*
 Non minor aliorum Principum etiam fuit sollicitudo,
 quod apparet ex ordinationibus ecclesiasticis, quas quæ-
 libet fere provincia habet proprias, & PLATONE mo-
 nente in *Lib. 6. de LL. prima*, in bene constituta Repu-
 blica leges esse debent de Conjugio, & caute latae, bene
 constituta Reipublicæ omnino erunt Criterium. Tan-
 tum de boni Principis, circa causas matrimonii potesta-
 te & officio. Cum vero ea quoque sit humana nostra
 imbecillitas ut omnes casus prævidere & legibus com-
 prehendere non liceat, ratio status etiam cujusque Rei-
 publicæ in tantum sæpe variet, ut eadem omnibus le-
 ges vix applicari possint; permissum esse statuo, & statu-
 ta condi de Causis Matrimoniorum, si non contra, præ-
 ter tamen Jus Commune & latae leges provinciales;
 imo statuo, & consuetudines posse introduci, quæ, si vel
 expressa, vel tacita saltem, Principis ratihabitione nitan-
 tur, & nihil irrationabile contineant, vel ipsi latae legi
 derogabunt. Vestigia ejusmodi statutorum & consuetu-
 dinum, ut unum allegem exemplum, videre licet in ME-
 VIO ad *Jus Lubecense Lib. 1. Tit. 4. art. 4.* & cum Patria
 Zitavia similibus fere Statutis utatur, pro consequendis
 summis in utroque Jure honoribus vero aliquam disse-
 rendi materiam eligere Statuta Hieranæ hujus Acade-
 miæ velint, exigant; & operæ pretium & intentione
 mea non indignum fore, credidi, si circa differentias Ju-
 ris Communis & Statutarii Zitaviensis desidem. Cum
 tamen & brevitatis merito habenda ratio, & ipsa tem-
 poris angustia, non permittat totam exhaurire Conju-
 giorum materiam, æqui bonique consulet L. B. si in so-
 lo Argumento de Sponsalibus perstitero, & ea, quæ Ju-
 re



re Communi sunt disposita, & prostant, tantum delibera-
vero; rata etiam ut ea habeat supremum Numen, pre-
cor!

§. I.



Ponsalia nomen acceperunt a spondendo. Ve-
teres enim sibi uxores stipulari & spondere
solebant, ROSIN. in *Antiquit. Rom.* p. 951. seqq.
ALEX. ab ALEX. *Genial. Dier. Lib. 2. C. 58. 7.*
Arg. l. 2. 3. ff. h. t.

§. II.

Definiuntur quod sint mentio & repromissio futu-
rarum nuptiarum l. 1. ff. eod. nuptiæ vero quid sint, *vid.*
in l. 1. ff. de rit. nupt.

§. III.

Differunt Sponsalia 1.) a meris tractatibus, ab his
enim semper recedi potest, 2.) à nuptiis, causa effici-
ente, forma, fine, effectu & contrariis, CARPZ. C. 2. D 243.
& iudicio quidem LAVTERBACHII Sponsalia sunt instar
emtionis, nuptiæ vero instar traditionis, quibus Jus qua-
si in re constituitur, *vid. Compend. Jur. tit. de Sponsal.*

§. IV.

Originem trahere Sponsalia ex Jure Naturæ & Gen-
tium asserere non vereor; præter enim, quod ab omni-
bus, moratoribus saltem, gentibus teste Tacito, ALEX.
ab ALEX. *Rosino* & aliis, fuerint recepta, nuptiæ vix ac ne
vix quidem sine sponsalibus possunt concipi. Sunt vero,
Jure Canonico, vel de præfenti vel de futuro; *vid. CA-*
NISVS, ZOES. & alii Canonistæ; quæ licet distinctio non
omnibus arrideat, MEV. *ad Jus Lub.* CARPZ. in *Jurispr.*
Eecl. BRVNNEM. ibid. tenenda ramen est, & usum suum
quoque habet.

§. V.

Distingvuntur porro sponsalia ratione Formæ & ef-
fectus in publica & clandestina, pura & conditionata:
publi-

publica, quæ sunt in præsentia testium, duorum saltem; clandestina, quæ vel sine testibus, vel sine consensu parentum, aliorumque quorum interest, de quibus inferius: pura, ubi pure repromittuntur sponsalia; conditionata, ubi adjecta est conditio vel dies.

§. VI.

Conditio vero adjecta est vel possibilis, & sponsalibus dat legem; vel impossibilis, & quidem vel naturaliter talis, & sponsalia vitiat; vel moraliter, & habetur pro non adjecta, quo etiam refero: ne desideretur copula carnalis.

§. VII.

Et consensus quidem sponsalia constituit *arg. L. 2. ff. de oblig. & act. L. 39. ff. de R. J. c. aliter 30. quest. 5.* hic vero, uti duo habet principia, intellectum & voluntatem, ut scilicet contrahentes idem intelligant & idem velint; ita merito ad Sponsalia non admittuntur quibus vel propter ætatem usus intellectus & voluntatis esse non præsumitur v. g. septennio minores; vel verè non est, ut sunt summe ebrii, furiosi, &c.

§. VIII.

Usus etiam intellectus & voluntatis adfuisse non dici potest ubi fuit error in personâ, vel causam sponsalibus dedit dolus, vis, metus, etiam reverentialis, si violentia, moralis saltem, præcesserit; aliâ exceptio metus, si justus non fuerit, planè exulat.

§. IX.

Forma autem sponsaliorum consistit in consensu declaratione, & uti ex hoc principio indubitate fluit quod qui consensum declarare non potest nec contrahere possit sponsalia: ita etiam certum & verum esse oportet consensum, ut adeo excludatur jocus.

§. X.

Non rarò tamen repromissio futurarum nuptiarum verbis etiam obliquis & ambiguis solet fieri; de his ergo quid statuendum erit? & puto, in quantum non restri-

cta

sta fuerunt ad certam conditionem, purè ea quoque obligare, ne illudantur matrimonia; & præsumi saltem consensum, quæ tamen præsumtio in quantum procedat, legatur ZOESIUS & BRUNNEM. *cit. loc.* Factis quoque declarari potest consensus v. g. admittendò coitum, dando anulum pronubum &c. & si mentio nuptiarum præcesserit, ad consummandum matrimonium omnino dabitur actio.

§. XI.

Personas contrahentes quod attinet, requiritur 1.) habitas sexus, ut scilicet sint vel mas vel femina, *L. 1. ff. de rit. nupt.* (de eunuchis Spadonibus & Hermaphroditis ergò quid statuendum, vid. CARPZ. *Jurpr. Eccles. L. 2. T. 1. D. 16.*) 2.) ætas legitima, ubi usus intellectus & voluntatis adesse præsumi potest, & hic quidem notandum impuberem septennio majorem sponsalia contrahere posse; posse tamen intra annos pubertatis iterum quoque pœnitere: 3.) ut sint sui juris: aliàs enim sine consensu eorum in quorum potestate sunt constituti valide sponsalia non contrahunt.

§. XII.

Est verò potestas, in qua sumus constituti, vel dominica vel patria. In dominica constituti sunt servi; tales autem hodie inter christianos regulariter non dantur; succedunt tamen in eorum locum homines proprii, quos vero, ceteris paribus, a contrahendis sponsalibus arcere vel impedire Dominis non licet.

§. XIII.

Patria quoque potestas non competit nisi patri, & huius quidem consensus absolute est necessarius; si tamen etiam sine justa causa pater dissentiat, jure meritoque consensus suppletur à Consistorio vel iis qui pro Formâ cujusque Reipubl. horum tenent vices.

§. XIV.

Requiritur verò consensus patris de necessitate juris naturalis, divini, civilis & Canonici, CARPZ. *d. l. 1. 39. p.* &, si

& si neglectus fuerit, vel pater ex justâ causâ dissenferit, sponsalia sunt ipsò jure nulla, sine figura judicii rescinduntur, etiamsi fuerint jurata CARPZ. L. 2. T. 3. D. 58. n. 9. seq. imò de jure stricto etiamsi accesserit concubitus; (secus est de æquitate & utilitate publicâ, quò pudori, jam vitiatò consulatur, & turbæ atque scandala evitentur, non nisi ex causis gravibus dissolvi solent:) præterea liberi puniuntur arbitrariè, carcere nimirum, vel multâ; imò, de jure comm. si cum turpi & indignâ personâ nuptias contraxerint, exheredari quoque possunt.

§. XV.

Ratio ex J. N. petita fundatur in Amore & Reverentia, Patri, genitori, educatori, actionumque liberorum, dicente naturâ, constituto Governatori, debitis. Hinc GROTIUS. J. B. P. L. 2. c. 4. §. 10. si in omnibus rebus reverentiam filii debent Parenti, debent eam certè in causis conjugalibus, quæ ad gentem totam pertinent. Et BECMANNVS ad h. l. commentatus, provocat ad verba CÆTULLI.

*Non æquum est pugnare, pater quos tradidit ipse,
Ipse Pater cum Matre, quibus parere necesse est.*

PVEENDORFF necessitatem consensus paterni deducit ex Jure Capitis familiæ. J. N. L. 6. c. 2. §. 14. cujus sit sollicitudine cavere, ne quid ex pactis Sponsalitiis & matrimonialibus in universam familiam damni, aut opprobrii redundet.

§. XVI.

Divini vero Juris, pro Parentum autoritate stantis, vestigia patent ex severa lege, benedictionis promissione, & maledictionis comminatione, in quartò Decalogi præceptò munita. Huc etiam accedit monitum Apostoli ad Coloss. 3. v. 27. Nam si voluntas Dei est, ut filii parentibus obediant IN OMNIBUS, etiam in contrahendis sponsalibus eorum decet requirere consensum. Hinc docet HÜLSEMANN. Brev. c. 21. Th. 6. p. 166f. filium, contra vo-

B

lunta-

luntatem parentum contrahentem, quartum Præceptum transgredi.

§. XVII.

Civilis ratio in Jure potestatis patriæ, patri in personas liberorum competente, jure iidem successionis, & ne invito agnascatur heres suus, ponitur.

§. XVIII.

Jure denique Canonicò respicitur ad pietatem & reverentiam Parenti debitam, ut adeo planè illegitimum declaret EVARISTUS Pontifex conjugium, incesti & in vitis Parentibus contractum in *Can. 1. Caus. 30. Quæst. 5. Add. Decretum LEONIS in can. non omnis caus. 33. Quæst. 2.* ubi paternus consensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habentur; ut taceam in CONCIL. TRIDENT. 136. Episcopus sententiam, pro necessitate consensus paterni dixisse, teste SVAVE f. potius SARPO *H. C. Tr. L. 8. fol. 834. conf. DIOD. THULDEN. Comment. ad Cod. L. 5. T. 4. pag. 294.*

§. XIX.

Ex his igitur cum luculenter pateat, consensum patris de forma Sponsalium essentiali esse, sequitur, quod citra nullitatis vitium præteriri nunquam possit, non obstante, quod pater fit crudelis, impius aut ebriofus, prodigus & cetera; cum enim leges non distinguant, nec nos distinguere decet: imo, cum conceptis verbis solus pater furiosus excipiat in *L. si furiosi 25. C. de nupt.* exceptio hæc unica eò fortius confirmat datam regulam.

§. XX.

Quæ autem dicta sunt de necessario ad Sponsalia liberorum consensu patris, de solo Patre naturali accipi, non ad Vitricum extendi velim. Sive enim pietatem & reverentiam singularem Patri debitam, sive jus potestatis patriæ, quod habet, & successionis, ut &, ne invito agnascatur heres suus, spectem: ubique cessat legis ratio & hinc per consequens & legis dispositio. Unde, cum non ita pridem Vitricus quidam de neglecto ad Sponsalia pri-

pri-

privignæ consensu suo, vehementer querularetur, matrem
verò consensisse constaret, iustissime repellebatur à limi-
ne iudicii.

§. XXI.

Non tamen salutare tantum, sed rogare etiam oportet patrem, idque tempestivè, ut consentiat: quod si fuerit neglectum, iustam ex hoc ipso dissentendi acquirit causam; si verò actum fuerit ordine, quem tradit & commendat MEVIUS *c. l. A. 2. n. 10.* patrem aut consentire, aut iustas dissensus causas allegare oportet, aut causa defendenda est ad competentem Judicem, qui arbitrabitur, & pro ratione circumstantiarum, tanquam pater communis, auctoritatem & consensum interponat; In pietate enim, non atrocitate, patria potestas se exercere debet.

§. XXII.

Dicta vero de consensu patris ad nuptias liberorum necessariò, an ad Matrem quoque extendenda sint, DDES disputant; quam controversiam exhibet remissivè CARP. ZOV. *d. l. T. 3. D. 44.* Scilicet, qui rationem legis in potestate patriâ fundatam dicunt, negant; qui verò in Jure reverentiali, affirmativam defendunt: quæ opinio quoque fundata esse videtur in *Can. 1. Caus. 30. quest. 5.* verbis: & a parentibus sponsetur & dotetur.

§. XXIII.

Avi etiam atque Avix consensus an & quatenus sit necessarius, Doctores discrepant: Alii ad *L. 16. ff. de rit. nupt.* provocant, ubi dicitur: Nepote uxorem ducente & Avus & Pater consentire debent: Neptis verò si nubat, voluntas & Auctoritas Avi sufficit. Alii è contra Avi Avixque consensum quidem requirendum esse, ajunt, propter *L. 51. L. 201. ff. de. V. S. §. pr. I. de Grad. Comput.* esse tamen patris voluntati & consensui subordinatum. Rursus alii nec Avi nec Avix consensu opus esse, asserunt, nisi parentes vitâ fuerint defuncti.

§. XXIV.

Tutorum etiam & Curatorum consensus an de for-

mā sit sponsalium essentiali, gravis orta fuit controversia: Curatores enim cum tantum bonis dentur, ullam in personas Curandorum ipsis potestatem competere, negant, provocantes simul ad expressam *L. 20. de Rit. Nupt. L. 8. C. de nuptiis.* Tutores quod attinet, ex arbitrio eorum Sponsalia nec contrahi, nec rescindi posse, propugnant auctoritate *L. 6. ff. de Sponsal. & L. 4. C. eod.* Alii e contra, mitius acturi, non quidem de necessitate juris esse, dicunt, ut Tutores atque Curatores consentiant; esse tamen de honestate, quò uti in aliis interdum levioribus, ita multò magis in tanti momenti causâ eorum saltem requiratur consilium.

§. XXV.

Porro etiam neque cognatorum neque agnatorum consensus ad Sponsalia requiritur, ob identitatem rationis, quam prolixè exhibet CARPZOV. *c. l. D. 46. Ad. Rescriptum Imp. Gordiani in L. 8. C. de nupt.* ubi hæc leguntur verba: in copulandis nuptiis &c. nec cognatorum, vel affinium ulla auctoritas potest intervenire: sed spectanda est ejus voluntas, de ejus conjunctione tractatur.

§. XXVI.

Et hæc quidem de Jure Coman. certasunt: aut cum providi Legislatores observarent, hæc Majorum Instituta præcavendis damnis & incommodis, ex matrimonio, incuriâ precipitantiaque contractò, non in familias tantum sed ipsam etiam Rempublicam non raro redundantibus, minus sufficere, sed plus cautionis adhibendum esse; factum fuit, ut in plurimis Provinciis & Civitatibus libertas Sponsalia initorum arctioribus subinde limitibus includeretur, pro necessitate & utilitate loci.

§. XXVII.

Ita Jure Sax. Elect. per Ordinationes Ecclesiasticas manifestas, liberi, cujuscunque sexus & ætatis, licet potestate patriâ soluti, ad contrahenda Sponsalia non parentum tantum, sed & Curatorum & proximorum Cognatorum, consensu opus habent, testante atque explicante

CARP-

CARPZOVIO d. l. D. 40. *sequitur* similiter in Ord. Polit. Duc. Po-
merorens. Anno 1681. cautum.

Daß die ohne der Vormünder Bewilligung gemachte
Heirathen ungültig und von keiner Verbindlichkeit ge-
achtet werden sollen vid. Berg. *Oec. Jur.* pag. 109.

Jure Lubecensi conceptis verbis legitur dispositum:

Wenn eine Wittfrau, oder Jungfer ohne ihres
Freunde Rath, die sich dessen aus wichtigen, erhebli-
chen Ursachen verweigern &c. sich in die Ehe begiebt,
die soll von allem ihrem Gut nicht haben, denn ihre
tägliche Kleider; von ihrem Gut gebühret dem Rath
20. Mark, das übrige sollen ihre nächste Erben ha-
ben.

vid. MEV. in Comment. ad J. L. T. 4. A. 2. it. A. 3. ubi

Würde einer oder mehr so verwegen seyn, daß sie ei-
ne Jungfrau ohne Willen der Vormünder, so sie diesel-
ben hat, verlobten, oder ohne Willen und Vollwort
ihrer nächsten Freunde, soll er zur Straffe geben 50.
Mark &c. dazu der Stadt Wohnung verlustig seyn,
er würde denn in dem von dem Rath begünstiget
&c.

conf. Explicatio hujus statuti §. 3. ubi plura allegat Statu-
ta & Constitutiones extraneas, quibus introductum, ut
Sponsalia non nisi cum consensu Curatorum incantur.

§. XXVIII.

Alia ejusmodi Statuta allegare adhuc possem ex HEIG-
GERH. BEVST. ARNIS. Sed non est cur foris conqui-
ram, quod domi in promptu est. Alma enim ZITTA-
VIA, uti ab ipsis suis primordiis & incrementis Justitiae,
qui, & Decori studio, cum vicinis urbibus certavit; ita
causis quoque Sponsalitiis & matrimonialibus peculiari
Lege Statutaria vigilantissime prospexit. Hinc ab alia-
rum Regionum Urbiumque consuetudinibus digrediens,
quid Zittaviensium Jure Statutario circa Sponsalia iustum
sit, nec non ejusdem à communi Jure differentiam, ac
verum Statuti sensum atque scopum, juxta limites praesentis

sentis instituti, succinctè memorabo: Quod ut eò expeditius fieri contingat, opera pretium fore confido, si ipsa Statuti verba allegavero, ut ex illis, quicquid huic materiæ pertractanda commodum existimavero, deduci possit.

§. XXIX.

Summa verò Statutorum hæc est:

I. Cap. Von ehelichen Gelibden, Hochzeiten und Wirthschafften generatim prohibentur Sponsalia clandestina quæcunque sine præfatu & rogatu Parentum, Curatorum & proximâ cognatione junctorum, cum viduis & Virginibus inita. Ita enim sonant verba:

Vor allen Dingen soll alle heimliche Gelibde, so un-
bewußt und unbefragt der Eltern, Vormünder und
nächsten Freundschaft, mit Wittwen, oder Jung-
frauen sich zutragen, bey ernstler Straffe und Pœn,
verboten seyn.

II. Speciaticim Cap. von Erb- Fällten sancitur, quod & Viduis Curatores dari debeant, iterumque cautum, ne, non minus quam filia, iis infæcis & invitis se desponsare aulint, verbis:

Desgleichen sollen denen Wittwen auch Vormünder
gegeben werden, welche sich, sowohl als die Töchter,
mit niemanden, ohne Bewußt und Bewilligung derer-
selben Vormünder, verloben sollen.

Ubi additur pœnalis clausula:

So aber jemand, ohne Bewußt und Bewilligung derer
Vormünder, sie überreden und belästigen würde, daß
sie sich ihm verlobte, dem soll die Stadt Jahr und Tag
verbotten seyn; Er soll darein, ohne Erlaubniß des
Raths, nicht kommen, dazu eines Ehrbaren Raths
Straffe gewärtig seyn.

III. Severè injungitur, ut die sponsaliorum Parentes, Curatores, vel proximi Cognati à sponso MORGENGAM
BAM

BAM stipulari debeant, sub pœnâ, si hoc neglectum fuerit amittenda actionis: Cap. Von Ehelichen Gelübden &c.

So viel aber die Ehe-Eistung und Veredung der Ehe und Morgen-Gabe anberuht, soll ein jeder Bürger und Einwohner, er sey Vater und Vormünder oder Bluts-Freund, der seine Tochter, oder Mündlein, oder Freundin, einen Wittwer oder Junggesellen ehelichen zuzusagen und zu verheirathen bedacht, auff den Tag der Verlobung und Ehe-Veredung vom Bräutigam die Morgen-Gabe nach der Stadt Utherkommen und Gebrauch abfordern, wann die Veredung vollbracht und beschloffen, dieselbe bräuchlicher Weise mit dem Handschlage verbürgen, wo auch vornöthen, verschreiben lassen, und wo solches übergangen, soll niemand zur Zahlung der Morgen-Gabe verpflichtet seyn.

§. XXX.

Quanto iudicii acumine, & quam enixo voluntatis, inviolatæ observationis cupida, affectu verba singula Statuti à Majoribus concepta sint docet (1.) formula initialis: **Vor allen Dingen** (2.) particula universalis **Alle**.

§. XXXI.

Illæ docet, quod causas matrimoniales non in ultimo, sed primo censu mediorem, quibus publica civitatis honestas, decus, splendor & utilitas nititur, habuerint. Neque enim in sponsalibus & nuptiis sola familiarum privata salus atque fama vertitur, sed universæ civitatis quoque interest, ea ritè & convenienter fieri, ne quid in eandem detrimenti inde derivetur, aut opprobrii, vid. PVFENDORFF. J. N. L. 6. c. 11. §. 14.

§. XXXII.

Hæc vero arguit enixam statuentium voluntatem, quod nihil voluerint exceptum. Omne enim qui dicit nihil

nihil excludit, & verba universalia majoris semper sunt efficacia, quam generalia, quippe omnia includunt, quae cogitari possunt. BARTHOL. in *L. generalia §. uxor. ff. de usufr. legat.* quin & efficiunt, ut restrictionem non admittant, quae alias restrictionem acciperent, & vim habent specialis expressionis, idemque operantur, ac si de singulis in specie facta esset mentio. vid. CARPZOV. *d. l. D. 49. n. 10. ibique alleg. DDer.*

§. XXXIII.

Quando igitur consensus Parentum daret Etern requiritur, dubitandum non est, Avum atque Aviam includi. Verba enim generalia sunt generaliter accipienda, & nomine Parentum Avum etiam & Aviam venire atque comprehendi evincunt LL. in *prac. §. 27. allegata.* Accedit Statuti hujus ratio, quae non tam jure potestatis patriæ, utpote, quo nec ipsa mater gaudet, quam potius Jure reverentiali, quod omnibus parentibus commune est, fundatur. Non tamen ea est Statuti nostri mens, ac si omnium consensu conjunctivè & copulativè opus sit, sed subordinatè tantum & salvâ sexus & Juris Prærogativâ, requiritur *arg. L. 195. §. 2. ff. de V. S.* Scilicet præ omnibus requiritur consensus *Patriæ*, tanquam Capitis familiaris, per modò alleg. *§. 2. post Patrem Matris*, & tum demum, si non amplius in vivis sint, *Avi* atque *Aviæ*: licet non negaverim, pium fore & laudabile, Parentibus quantumvis adhuc superstites, honoris saltem causâ eos non prorsus præteriri.

§. XXXIV.

Porro ad Sponsaliorum FORMAM, defuncto patre, Vi Statuti nostri requiritur Consensus CVRATORVM, verbis: Cap. Von ehelichen Gelübden.

Vor allen Dingen sollen alle heimliche Gelübde so unbewußt und unbefragt &c. daret Vormünder &c. sich zutragen &c. verboten seyn;

Et quidem ob debilitatem Sexus. *Nihil in feminâ modicum:*
Sia-

si amat insanit, inquit GRAMONDUS *Lib. 1. H. G. pag. 39.*
 LAMBECIUS *L. 2. B. V. 938.*

*Vento quid levius? fulmen: quid fulmine? fama:
 Quid famâ? mulier: quid muliere? nihil.*

Ut taceam, quò stylò PLAVTVS levitatem sextus muliebris depinxit. Hæc & alia, puto, fragile & infirmum multisque captionibus expositum muliebri consilium, uti multo in Jure nostro favori singulari, multisque beneficiis, v. g. restitutioni in integrum, AUTHENT, C. *si qua mulier*, it: quod minorum loco habeantur, & Contractus sine Curatore gestus ab ipsarum parte claudicet; ita huic etiam Statuto ansam & occasionem præbuerunt. Observarunt quippe providi Majores, uti in contractibus aliàs, ita maxime in re tanti momenti sceminis subveniendum fore: Inde contrà quam Jure comm. ubi ex arbitrio CVRATORVM sponsalia nec contrahi nec impediti poterant, Curatores esse voluerunt sceminis, quibus inficiis & invitis illis, nubere non liceat. Neque enim verba: **unbewußt und unbefragt** de nudò sunt accipienda consiliò; disertis enim verbis explicantur in capite **von Erb-fällen**/ quod de consensu debeant intelligi. In transgredientes quoque statuitur pœna arbitraria carceris, vel mulctæ, & dolose inducentes Viduas & Virgines ad votum sponsalitiùm, relegatione puniuntur annuâ, sponsalia absque permisso Magistratus consummare non licet, & præterea adhuc puniuntur arbitrarie. Nec de ætate *minorennibus* tantum intelligenda sunt, quæ hic sancita legimus, sed etiam de *majorennibus*: loquuntur enim Statuta absque ullo discrimine ætatis, adeoque generaliter sunt intelligenda. Eodem tamen modo, quo requiritur consensus paternus, Curatorum consensum requiri nolum, cum longe fortior sit, quæ pro autoritate PARENTUM pugnat ratio, quam illa, quæ pro CARATORVM autoritate militat; Unde verius, ob solum neglectum Consensus Curatorum Sponsalia non rescindi, sed fortiores

res easque iustas causas subesse oportere, quibus cognitis, non sponsalia tantummodo severe inhiabit, aut contracta iterum dissolvat iudex, verum etiam, si Curatoris consensum male neglectum deprehenderit, clam desponsata poenae rea foret.

§. XXXV.

Tertio requiritur consensus proxima cognatione junctorum. verbis:

Vor allen Dingen sollen alle heimliche Gelübde, so unbewußt und unbefragt &c. der nächsten Freundschaft sich zutragen, verboten seyn.

Ad quem usque gradum procedat haec Statuti nostri dispositio, non definitum est: Unde merito refringitur ad eos, qui immediatè proximam spem succedendi habent. Denudo verò consilio, non de consensu Verba Statuti accipio: Consensus enim nullibi requiritur. Quod si etiam hoc consilium neglectum fuerit, sponsalia ideo nec impediuntur, nec dissolvuntur; si tamen iusta fuerit, quae cognatione junctos ad contradicendum movet, causa: Magistratum adeant oportet, qui cognoscet, & causam arbitriam quoque poenam in transgressores statuet.

§. XXXVI.

An vero Statuta de VIRGINIBVS & VIDVIS ad Adolescentes quoque spectent, paucis adhuc est dispiciendum. Verum non videretur, dum specto vel Statuti naturam, quae stricti Juris est, vel ejusdem exorbitantiam, quae vetat idem extendere; vel matrimonii favorem, qui permittit, contrahendi licentiam ampliari potius, quam arctari: vel etiam diversitatis rationem, ex accuratiore marium quam foeminarum iudicio: Sunt verba MEVII ad Jus Lub. Tit. 4. Art. 2. in fin. comment. Quibus cum addere nil valeam, subscribo; infimul observans, quod, uti in

in pluribus aliis capitibus singularibus, quod ante me jam observavit Vir EXCELL. DN. CARPZOV. in *Analect. Fa-
stor. Zittav. P. c. V. pag. 176.* ita maximè & hoc in argumen-
to sponsaliorum, magna inter STATVTA ZITTAVIÆ
nostra & JVS LVBECENSE intercederet cognatio. Hinc
cum idem MEVIUS ad *Tit. Statuti Lubecensis IV. de Spon-
salibus & nuptiis &c.* commentatus, multa solide & eru-
dite jam annotaverit, quæ ad illustrandum quoque Statu-
tum nostræ Civitatis perinde faciunt: non possum igitur
non, quin L. B. illuc remisisse malim, quam exscriben-
dò, præter necessitatem, cumulare paginas.

§. XXXVII.

Unicum adhuc dicendum restat: an scilicet, præter
consensum PARENTVM, CVRATORVM & proximam
cognitionem junctorum, adhuc requiratur publica SO-
LËNNITAS, vulgò dicta: *öffentlich Verlobniß in Bey-
seyn Zeugen.* Jure communi nullam requiri, certum est:
nudus enim consensus ad constituenda Sponsalia sufficit,
neque arrhæ desiderantur, neque Sponsalitia. At ex
Statutis plerorumque locorum TESTES adhiberi, neces-
se est; nec aliter habentur Sponsalia pro validis. Ita OR-
DIN. ELECT. SAX. expresse sancitum: quod Sponsalia
absque testibus contracta habeantur pro clandestinis: Essi
probari possint, publicè sunt repetenda; secus si fuerit
factum, non valent, vid. CARPZ. d. l. ubi simul præjudi-
cia. Idem quoque moribus ZITTAVIÆ videtur intro-
ductum, distingvi enim solet inter *Zusage*, quæ est accep-
tatio categorica facta mentionis sponsalium: & inter
Verlobung, quæ est desponsatio solennis, in præsentia
PARENTVM, CVRATORVM & proximorum cogna-
torum, utrinque adhibitis testibus, publicè facta. Hinc
aliud *versprochen*, aliud *verlobte Braut*. A Majoribus
hæc introducta dixi: STATVTA enim tacent. Interim
quæ consuetudo, ipsa jam legis habens valorem introdu-
xit, Statuta probant. Non enim tantummodo difertis
ver-

verbis mentio fit diei sponsalitiū cap. von *Ehelichen Gelübden* verbis: *Auf den Tag der Verlobung &c.* verum etiam hic DIES SPONSALITIVS pro termino & quidem peremptorio, ratione stipulanda MORGENGABÆ statuitur, quo præterlapsò amplius quid petere non liceat. Ita enim sonant verba d. c. von *Ehelichen Gelübden*. Unde certò die, ab arbitrio tamen desponsandorum dependente, Sponsalia in præsentia testium celebrare oportet, nec ante copulari permittitur. Neque est, cur nimii rigoris arguas hanc Observantiam, præter enim quòd ipse Deus omnia in Ecclesià ordine, decenter, honestè & decorè velit fieri, & cum pudore naturali pugnet, de virginitate puellæ tractari in angulo; accedit ratio Satuti planè *specialis & politica*, respectu feminarum ipsa favorabilis. Dotari quippe volunt Statuta *Viduas & Virgines à Sponso*, quò vidua facta, cum nihil, si sterille fuerit conjugium, ex bonis mariti lucrètur, vita habeat subsidia. Et hinc tanta severitate cap. von *Ehelichen Gelübden* injungitur, ne vel PARENTES vel CVRATORES, vel proximà cognatione juncti die Sponsaliorum MORGENGABAM à Sponso stipulari obliviscantur.

§. XXXVIII.

Varia variorum de hac MORGENGABA ZITTA-
VIENSI fuerunt sententiæ. Aliis visa fuit mera largitas *Sponsalitia*: alii habuerunt eam pro *jocali munere*, altero nuptiarum die sponsæ antiquitatis offerri solito: quibus vero utrisque satisfactum est peculiari studio elaborata & Anno 1684. Lipsiæ defensâ disputatione DN. JOHANNI HEINRICI à *Landtsch* / nunc *hereditarii in Hörnitz* / J. U. D. & *Zittaviensis Judicii Assessoris* meritissimi, quæ extat in *Script. Lusar. Tom. 3. p. 175. ex Biblioth. SENAT. Zittav.* Sunt etiam, quibus viderur esse sola *donatio propter nuptias*, cui tamen à *dote Germana* aliquid adhareat. Sed cum donatio propter nuptias semper præsupponat DOTEM ab uxore illatam, qualis vero ZITTAVIÆ merito nunquam inferri solet:

folet: non omnino possum assequi, quibus ex causis al-
ma ZITTAVIÆ hæc videatur invideri gloria, quod hunc
veteris *Germanici Juris* quasi rivulum, ex quo hæc MOR-
GENGABA promanavit, retinuerit, ac fera posteritatis
usui custodiendum commendaverit.

§. XXXIX.

Veteribus autem GERMANIS hunc morem, quo
Sponsus Sponsæ DOTEM constituit, fuisse usitatum, li-
quet ex verbis TACITI de M. G. c. 23. *Dotem non uxor*
marito, sed Maritus Uxori affert. Conf. ALEXAND. AB A-
LEXAND. G. D. P. IX. c. IV. p. 556. T. I. ubi addit: *Dotē hæc*
non præstita Sponsalia nihil fœderatum aut consociatum habuisse.
ZITTAVIÆ autem incolas *Germanicæ* potius quam *Slavi-*
cæ originis, statim ab U. C. fuisse, probat tum ratio eor-
um temporum, quibus fundata atque confirmata fuit,
tum etiam REGVM, quibus sua initia & incrementa de-
bet, animi indoles. Nam PRIMISLAVS II. *Ortocarus* R.
B. Augustus ZIVTAVIÆ conditor teste MANL. *de Reb. Lau-*
sāt. L. 3. c. 45. complures, proposita immunitate, ad domi-
cilia in nova hac colonia exfruenta, invitavit. Et sic
non abhorret à probabili, ipsum *Germanos* advenas à Ger-
manorum moribus & LL. consuetud. nequaquam pro-
hibuisse.

§. LX.

Postea, succedente tempore *Zittaviensibus* etiam Jura
Germanica, autoritate Cæsareo-Regiæ CAROLI IV. fue-
runt confirmata; præcipue, cum *Zittavienses*, in causis du-
biis, pro justitia & æquitate decidendis juberentur re-
sponsa ex Scabinatu *Halensi* & *Magdeburgensi* requirere;
quod, quibus ex causis factum fuerit, exponit Excellent.
CARPZOV. *Analect. Fast. Zittav. P. II. c. 1. p. 179.*

§. XLI.

Quæ singula non alium in finem à me commemo-
rantur, quam ut appareat: MORGENGABAM *Zittavien-*
sem

sem lege Statutiaria in pactis Sponsalitiis præceptam, non vulgaribus reciprocis donationibus, aut nudæ donationi propter nuptias æquiparandam: Sed omnino dignam esse, quæ pro vero atque genuinò veteris Germanici Juris consuetudinarii, in pactis Sponsalitiis usitati, habeatur iurulo. Cujus differentiam ab illa vulgari dote, quæ a marito novæ uxori altero post nuptias die, dare solebat, luculentissime ostendit DISSERTATIO de different. *J. R. & Germ.* in DOTE mariti, vulgo *Morgengab* atque *DOTALITIO* Hale, sub præsid. Excell. DN. de *Ludwig* habita.

§. XLII.

Neque obstat, in Statutorum textu ne verbò quidem sancitum, Sponsam a Sponso dotandam esse: ipsa enim vox *MORGENGABÆ* dotem involvit; quod egregie explicat *SCHILTER* in *Praxi sua Jur. Rom. in for. Germ. exerc.* 36. §. 75. verbis seq. *Ut igitur jure & moribus Germanorum id, quod in contractu matrimonii, SPONSÆ de Viri bonis promittitur, DOTIS nomine venit, æquè ac MORGENGABA nullo habito respectu ad DOTE aliquam, à Sponso allatam vel promissam: ita hoc Jure FINIS DOTIS non est sustentio onerum matrimonii, sed provisio vitæ & alimentorum mulieris, si vidua fuerit facta. JURE SAX. l. 3. a. 74. & l. 2. a. 21. pactis dotalibus vel lege determinata: unde PORTIO STATUTARIA quam vocamus, hanc DOTIS speciem refert. Atque hujusmodi dotis constituende necessitas incumbit viro: atque Sponse Parentibus nulla, contra, quam JURE ROMANO l. 19. ff. de rit. nupt. l. f. C. De Dot. prom.*

§. XLIII.


Ne vero nimis extra oleas vagari videar, ad propositam materiam revertor, paucula modo de EFFECTV legitimorum Sponsalium dicturus. Legitima appello, in quibus FORMA, Statutis præscripta decenter observata fuit. Hæc vero & OBLIGATIONEM ET ACTIONEM ad consummandum matrimonium producere, non est cur dubitemus. ACTIO vero inde competens olim dicebatur EX SPONSV: per SPONSIONES enim fieri solebant

bant Sponsalia; ast hodie, cum nudò fiant pactò, nuda quoque sufficit officii Judicis imploratio.

§. XLIV.

CONTRARIA Sponsaliorum quod attinet, Jure STATUTARIO nihil mutatum invenio. Quare hic subsistit mea hæc, de eo, quod cum *Jure comm.* tum *Statutario ZITTAVIENSI* justum est in pactis Sponsalitiis, *Disseratio.* Plura enim addere prohibet cum festinatio indeclinabilis, subitaneas potius, quam diu præmeditatas Theſes permittens: tum propositum, materiam hanc, alio tempore, prolixius, & animo liberiori ac tranquilliori congruentius, persequendi. Quare DEO cæptis benignissime opitulato, sit

L. H. & G!





Uspicio fausto, quæ sint
Sponsalia iusta,
Egregiè trades; an-
nuit alma Themis.

Ut spem conceptam Patriæ tuearis
amandæ,
Nos acclamamus: Commoda mil-
le feres.

*Hæc cum Voto omnigenæ prosperitatis
apponebat*

JOHANN. HENR. Meier / JCTVS,
Electoral. Regiminis Consil. Pro-
vincial. Judic. Assess. Primar.
Univerfit. Senior, nec non Pro-
fess. Decretal. Publ.

X

Co

* * *



ists denn nicht genug, daß Zittau
dich mit Ruhm
Zum Vätern ihrer Stadt, weil du es
werth, gezehlet,
Und meinst du, da man dich in Themis
Heiligthum
Noch nicht als Priester sieht, als ob
dir etwas fehlt?

Der Ehre, welcher du dein Herze stets geweiht,
Der könnte ja hierdurch schon völlig Recht geschehen
In einer solchen Stadt, dich iezo allbereit
Sehr werthgeschäfter Freund / am Regiment
zu sehen.

War die Geschicklichkeit, so du hierbey erzeigt,
Nicht genug, daß sie hiermit zufrieden konte leben?
Davon doch niemand nicht, wer von dir redet,
schweigt,

Und alle dir darum ein gutes Zeugniß geben?
Selbst unsre Philuris stellt sich zum Zeugen dar
Wie schon geschickt sie dich auch damahls schon be-
funden

Als wir [ich sag es selbst, daß dirs ein Spielwerk] war
[ich sahe selbst, daß dirs was leichtes] war
Dasselbe mahl zugleich auf der Catheder stunden.
Jedoch, dein Nahme selbst treibt dich zu diesem an;
Und da du Großer heist, so suchst du größte Eh-
ren.

Wohl,

Wohl, wer nur so, wie du, sich würdig machen kan,
Den ihm schon eignen Ruhm mit Ruhm noch zu
vermehrten.

Drum thut die Themis recht; so dir den Purpur
reicht

Und ihres Scharlachs Schmuck um Haupt und
Schultern leget,

Weil beyde Würde sich zusammen schon vergleicht.
Und wer geschickt, wie du, diß Zeichen rühmlich
träget.

Wohlan! so prange denn beglückt in diesem Schmuck
Und wisse niemahls nichts von niedrigen Besüwer-
den;

Doch, wo du hieran auch vielleicht noch nicht genug,
So wünsch ich: Großers Ruhm soll einst noch
Größer werden.

Wodurch seine Schuldigkeit seinem hochge-
ehrtesten Herrn Schwager bey der längst
verdienten DOCTOR-Würde in Eyl
abstatten wollen

D. CHRISTOPH DOHNDORFF,
Facult. Jurid. Lips. & Cur. Provincial. in Inferior.
Lusat. Assessor.

X 2

Est

Est *Grossere* tibi, Genitor cū nomine Ma-
gnus;
Tum quoque doctrina. *Magnusque* vocabe-
ris ipse

Te Zittanorum *Magnum* laudatque Senatus.
Quem latet, in nostro tua jure scientia Magna,
Hinc Themis & *Magno* merito tibi præmia
confert.

En! *Magnus* vigeas & crescas *Major* honore,
Maxima non minus laudem fortuna sequatur
Perpetuo *Magni* sic nomen & omen habe-
bis.

Hic

Domino DOCTORI, amico, Collegæ,
quem in itinere hoc habuit comi-
tem, dilectissimo de honoribus gra-
tulatur

Ernst Gotthelf Herkog.

URbs, Viadro vicina, TIBI me junxit ami-
cum:

Urbs vicina etiam nunc TIBI consociat.

Dispa-

Disparibus quamquam studiis operemus uter-
que:

Par tamen elucens urget utrumque fides.
Hinc ea, quæ tua sunt, etiam mea Commoda
duco:

Et meus est qui TE condecoravit honos.
Quare congrator summos, quos Juris honores
Nunc hilari oblatos, mente manuque ca-
pis.

Provehat ipsa Tuos porro Themis alma la-
bores:

Sic RE, non solo Nomine DOCTOR eris.

*Paucula hæc
novis amici veteris honoribus applau-
dens, adjecit*

GOTTFREDUS GERBER,
Med. Doct. & Pract. Görlic.

Tarda licet veniant THEMIDOS Tibi
Præmia, FRATER;
Sat citò, dum bene sat, dico venire TIBI.
Festinant alii, TU lento tendere cursu
Orfus ad ASTREÆ culmen honoris abis.
Ante

Ante TIBI placuit curas tentare SENACLI
Quam Lauri viridis cingere fronde caput.
Nunc experta TUAS vires THEMIS, astra re-
ducens

Exclamat: meritis parta TIARA venit.
Hanc igitur gnavae tandem circumdato Fronti,
Et cole *justitiam*, dum TIBI vita fluat.
Sic alios aliis cernes succedere honores:
Invidiae nam nil spicula JURIS habent.

Hoc fore, latus ominatur
FRATER

D. Johannes Gottlob Grosser.
Medicinae Practicus
Gorlicensis.

EUge! coronat honos celeberrimum agona la-
boris
Dum TIBI purpureum Diva Themista Decus
Decernit dudum merito. Labor arduus olim
Divite namque sua messe carere nequit.
Scilicet, ipsa sibi pretium Virtus: sua secum
Fœnore cum largo præmia grata trahit.
Enthea sic TEMET posuit super æthera Virtus,
Quem decorant Musæ, Gens, Charis, Artis ho-
nos,

Nobilis

Nobilis Astrææ Soboles, GROSSERE, SENATU
TUS

Magnificus Zittæ quem fovet atque colit,
Adfiscens Socium, qui, clarus *Jure* Fideque,
Consuleret Patriæ sublevet Urbis onus,
At nunc alma DICE summos superaddit honores,
Atque tuum summo cingit honore Caput.
Hos igitur merito TIBI, (ceu fas) grator honores,
Utque salutiferi sint TIBI sintque TUIS,
Apprecor, atque *Tuam* fortunæ flumen inaret,
Dulcius auspicio candidiore *Domum*.

Ita novis Prænobilissimi atque Amplissimi DNI GROSSERI, Senatoris Zittaviensis, honoribus applaudit

CHRISTIANUS HAUFFIUS,

Gymn. Gorlicensis PRO-RECTOR.

A Nnis quem *minimum* NISSUS susceperat olim;
Nunc *magnum* ingenio NISSUS honore colit.
Fecerunt etenim *majorem* TE, SPREA, PLISSUS,
Et VIADRUS: sed nunc maximum HIERA
facit,

Quan-

Quandoquidem *Summis* Te JURIS honoribus auget:
Gratulor: ac precor, ut *maxima Major* agas!

*Sic novos novo DNO DOCTORI
collatos honores veteri affectu &
officio innoxios congratulatur*

FRANCISCUS Müller /
Gymn. Gorlicenf. Collega.

HÆc tua cœpta probant quod Cultor juris &
æqui
Assiduus fueris, dum docto differis ore,
Quidnam sit vestri circa sponsalia juris.
Cumque Themis donat merito Tibi laurea ferta,
Gratulor inde Tibi sincero corde, precorque
Amplius ut summum Numen tua facta secundet.

*Ita Prænobilitissimo & Consultissimo Dno
applaudere voluit debuit*

JOHANN. HEINR. Meier /
J. V. C. & Oppon.



Erfurt, Diss., 1723

X 2386946

ULB Halle
007 436 556

3







DISSERTATIONEM INAUGURALEM JURIDICAM,
DE
EO QUOD IUSTVM EST CIRCA
SPONSALIA, 1723, 18
TAM
JVRE COMMVNI,
QVAM
STATVTARIOZITTAVIENSI,
IN PER-ANTIQA ELECTORAL. VNIVERSITATE
ERFORDIENSI,
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,
DOMINO
CHRISTOPH. IGNATIO
DE GVDENVS, J. V. D.
INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM.
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;
EX CONSENSV ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS,
PRÆSIDE
DN. ERNESTO TENZELL, JCTO,
EMINENTISSIMI PRINC. ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS,
IVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORE, AC DICTÆ CIVITATIS
CONSULE PRIMARIO, FACVLTATIS IVRIDICÆ
h. t. DECANO,
PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS AC PRI-
VILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS,
IN AUDITORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSV.
AD DIEM XI. DECEMBRIS, A. O. R. MDCCXXIII.
PVBLICÆ DISQVISIONI SVBJICIET
AVTOR
SAMVEL FRIEDRICH GROSSER,
Senator. Zittaviensis.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

